Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



178

fratrum coheris, et inclamatus negare nequiuerit, damnum
integre restituat, deinde duodecim nummos persoluat, et
Judici totidem. Et ut agricultura et pecuum clausura om-
ni tempore sub pacis observantia permaneat, prata vero
a festo S. Georgii usque ad festum S. Michaelis similiter;
placuit etiam, quatinus Praefectus forensis cum se sexto
prout potuerit, ex sui parte sub iuramento Wilthinensem
Ecclesiam, cuncta que in hac regione ad eam pertinentia,
sub pacis foedere tueatur; itidem Praefectus exterior
faciat: et ut hac cuncta inviolabiliter seruentur, super hac
omnia mansum in vico Ambras ipsis per manum Domini
Udalscalci de Vffendorf ea conditione delegamus, ut si quid
praescriptorum a quoquam violatum fuerit, vel si quispiam
forensium, vel aliorum nostrorum quilibet eos grauauerit,
scilicet ut si alicui ipsorum manus iniecerit, vel verbis
indecentibus dehonestauerit, vel hominem Ecclesiae suae
occiderit aut detruncauerit, vel aliquo ut ualuerit sau-
ciauerit, et si res ipsorum per vim aut furtum diri-
puerit, isti iudicii plectatur vindicta. Quodsi pra- n. 4.
fati Judices illam qualiscunque sit, causam per se
terminare non ualuerint, et ad audientiam nostram
dilata fuerit, si nos querimonie ipsorum infra sex sep-
timanas, secundum iustitie equitatem non satisfeceri-
mus, predium praescriptum in proprietatem Ecclesie pre-
fate perenniter transibit, secundum quod nos ipsi iure-
iurando sanximus. Huius rei testes sunt ipse Marchio n. 5.
et filius eius Dux Meranie, Dominus Degenhardus Pre-
positus de Diessen, et eius Capellanus Burcardus, Dominus
Wernherus Archipresbyter, et Dominus Conradus Custos
de Brixina; Dominus Otto Aduocatus eiusdem Ecclesie
noster, et Dominus Udelscalcus de Vffendorf, Dominus Ber-
nardus de Wikain, Diemo et frater eius Henricus Albus
de Stilfes; hi nobiles: Dominus Rupertus et frater eius
Emilricus de Veissenstain, Rupertus et frater eius Heer-
prant de Milen; hi Brixinenses Ministeriales, Dominus
Lazarus, Gotfridus, Henricus, Snekke, Udalricus de Si-
delsdorf, Conradus Brixinensis, Rudolphus et frater eius
Eberhardus de Hochenrain, Fridericus de Schonbenk, et
Udalricus de Treuntsperg, et fratres eius Gebhardus, Conradus
et Henricus, Sigebotto de Ambras, et frater eius Conradus, Con-
radus de Bradel. Hi Ministeriales Domini Marchionis,
Bernardus Pfenningor Judex, Hainricus Stœrer, Wernhe-
rus Sutor, Eberhardus Albertus Cidelar, Heinhalm, Fri-
dericus, Conrad Schœnna, hi forenses. Acta sunt hoc An-
no ab Incarnatione Domini 1180, Indictione 13. sub Impe-
ratore Friderico.